



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Ludouicus ab Angelis n. 17

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Angelica
puritate
nitens, &
Hortus de-
litiarum
Dei.

17. * A LVDOVICO AB ANGELIS, qui haud proprij agnominis immemor, Societatem Angelica puritate nitentem, ac demum, Hortum delitiarum Dei, non veretur asserere ac nominare. Tanta illi erat de Religione hac omnium minima existimatio. Ita in lib. Festor. Hispal. in Beatif. S. Ignatij fol. mibi 73.

A CARTHUSIANIS.

Literae
Prioris
Maioris
Carthusia.
In quibus
doctrina,
mores, ac
zelus scio-
rum lau-
dantur.

Qui inter
huius sa-
culi tene-
bras reful-
gent.

Peculiarẽ
cũ Societa-
te germa-
nitatem
constituit
Carthusia.

18. **A** PETRO DE SARDIS summo Priore Magnae Carthusiae cum suae innocentissimae Familiae Religiosis, qui omnes in suo Generali Capitulo congregati, in nascente adhuc Societate sensum, & pietatem erga illam, datis ad Ignatium, & suos anno 1544. literis è Maiori eadem Carthusia sic comprehendunt: Audita fama odorifera, fratres in Domino dilectissimi de vestra exemplari doctrina, & voluntaria paupertate, ceterisque virtutibus, quibus in tenebris nostri deplorandi saeculi refulgentes perhibemini homines in via perditionis errantes ad arctam viam salutis reuocare, vacillantes stabilire, stantesque ad proficiendum in virtutibus stimulare, & magnam in Domino Ecclesiae Catholicae fructum afferre; gauisi sumus in Domino, gratias illi agentes, quod in tanta desolatae Ecclesiae suae calamitate, qua premimur, excitare dignatus est, & mittere novos operarios in vineam suam, recordatus misericordiae suae. In quo quidem sancto opere, cupientes vobis pro nostro modulo cooperari, fraternitatem vestram obsecramus per charitatem eius, qui pro nobis non dubitauit animam suam ponere, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: sed in sancto proposito perseverantes, in omnibus exhibeatis vos sicut Dei ministros in multa patientia, non deficientes inter labores, pericula, & persecutiones, quae omnibus, pie viuere volentibus, occurrere solent. Tempore enim suo metetis, non deficientes. Et nos fratres, si quid poterimus apud Dominum, diuinis Sacrificijs, orationibus, abstinentijs, ceterisque pijs exerci-